III/369

3 GROSCHEN

Archiwum Rodziny
AUGUSTYNOWICZÓW-CIECIERSKICH
z Bacik 5

3

Acta sunt Haec in Drohiczyn, Feria Secunda, in Crastino Undecim Millium Virginum, Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo Octavo. Inter terminis Terrestribus Drohicensibus. =

Comparendo personaliter Coram Judicio Generosus Joannes Iwanowski Notarius Terrestris Drohicensis in Minczewo, Capit, Heres exhibuit et representavit Literas Sacre Majestatis Regie, in Pargameno exaratas, Sigillo appenso Magni Ducatus Lithwanie Communitas, et Manu propria Sacre Majestatis Regie subscriptas, Ususfructionem liberam Bonorum et Oppidy Mordy ac Villarum infra Specificatorum ad hoc Idem Oppidum pertinentium, per Sacram Regiam Majestatem Magnifice Elisabeth Hlebowna Palatine Trocensi ad extrema Vite Ipsius Tempora concessam in se denotantes, Quas quidem Literas Sacre Majestatis Regie infrascriptas prefatus Joannes Iwanowski coram Judicio personaliter prefate Magnifice Elisabeth Sapiezyna in manus Sue Magnificentie proprias Contulit, et eas ipsas Sacre Majestatis Regie Literas prefata Magnifica

Magnifica Elisabeth Palatina Trocensis coram Judicio personaliter comparendo, in Manus suas proprias de manibus Praefati Notarij Terrestris Drohiciensis Joannis Iwanowski accepit, quibus acceptis praefata Magnifica Elisabeth Sapiezyna Palatina Trocensis affectavit Judicium ejusmodi Literas Sacrae Majestatis Regiae fore sibi ad Acta Terrestria Drohicensia admitti inducendas, et Judicium cum ea qua decuit Reverentia Literas Sacrae Majestatis Regiae susceptas et perlectas in nullo fore viciatas, sed insuper Manu propria Sacrae Majestatis Regiae Subscriptas eas ipsas Literas Sacrae Majestatis Regiae induci et ingrossari in Acta Terrestria Drohicensia admisit, Quarum Literarum series verborum talis est et sequitur. Sigismundus Augustus Dei Gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithvaniae, Russiae, Totiusq Prussiae Masoviae, Samogitiae q Dominus et Haeres. Significamus Tenore praesentium Quibus expedit Universis. Quia cum Magnifica Elisabeth Hlebowna Consors olim Magnifici Gregorij Oscykiewicz Palatini Trocensis singularem erga nos gerens affectum, studium, et observantiam, sponte et animo deliberato cupiens de Nobis in hac sua aetate jam provecta bene mereri, Oppidum Mordy suum, in Districtu Drohiciensi situm, cum Villis Czołomyje, Czepielin, Stok Wysotski, Zapole, Stryiaki, Głuchowo, Rogosce, Stasiki, Stolimowo Stare, Stolimowo

Stolimowo et Wirowo, Omnibusq alijs ad Ipsum Oppidum Mordy Jure et antiqua consuetudine pertinentibus, cum omni Jure et Dominio, nihil sibi et suis Successoribus relinquens, Nobis et Successoribus Nostris, Titulo hereditario, et perpetuo donavit, et inscripsit, nos agnoscentes imo vere per gratum habentes Illius erga nos affectum, cum liberalitate conjunctum, Ipsam in Possessione et Usufructu pacifico eorundem Bonorum Mordy et Villarum suprascriptarum, omniumq ad Illa pertinentiarum, quamdiu vixerit conservandam duximus, et harum serie Literarum conservamus, prout et per Serenissimum olim Parentem Nostrum erat conservata, similiter et Literis Nostris praefata Usufructu praefatorum Bonorum est roborata. Quas Literas nostras et Serenissimi Parentis Nostri praesentibus in omnibus et singulis earum punctis clausulis, conditionibus, et articulis innovandas, approbandas, ratificandas et confirmandas esse duximus prout, innovamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus per praesentes, decernentes illas et illarum omnia contenta, robur debitae firmitatis obtinere debere, ad Vitae usq suae extrema Tempora Insuper ab omnibus oneribus Terrestribus Ducatus hujus et etiam ab omnimoda Bellica expeditione, quocunque modo illa futura est, ita liberam facimus, et omnibus Bonis suis ad extrema usq Vitae suae Tempora eximimus.

eximimus, atq prefatam Magnificam Palatinam Trocensem ab omnibus Judicijs, et Singulis tam Spiritualibus quam secularibus Dignitarijs, et Officialibus, Palatinis, Capitaneis, Vicecapitaneis, Judicibus et quarum cunq Dignitatum et preeminentiarum Prefectis eorumq Reusgerentibus Terrestribus, Castrensibus, Terrarum quarumcunq Palatinatuum in Magno Ducatu isto Nostro Lithvaniae ubilibet constitutis liberamus sed prefatam Magnificam Palatinam Trocensem sub Tutelam et Protectionem Nostram Regiam suscepimus et presentibus suscipimus, et cuilibet de Illa querenti Justitiam congruam Sibi administrabimus, promittentes in verbo Nostro Regio pro Nobis et Successoribus nostris quod Ipsam Magnificam Palatinam quam diu vixerit Bonis predictis ac Censibus, Redditibus, Fructibus, omnibusq Obventionibus et utilitatibus quocunq nomine censentur non solum frui et gaudere permissuri sumus, sed etiam ab omnibus Injurijs et Impedimentis Vicinorum, id quod Officij Nostri est defensuri sumus Successoresq Nostri permittent et defendent. Qua vita functa Bona omnia supra scripta ad nos et Successores Nostros pleno Jure recident et devolventur. In cujus Rei Testimonium Sigillum Nostrum presentibus est appensum. Datum Piotrkowiae Feria Tertia

Tertia ipso Die Sancti Galli Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Quadragesimo Octavo. Sigismundus Augustus Rex scripsit.

Ex Actt Terrestr.
Droh. Resectum
Biaty. V.D.T.D.

Legi Kalicki mmea

Literae S[eren]issimae R[egi]ae M[aies]t[at]is
ad Usufructionem Liberam
Oppidy Mordy M[agnifi]cae Sapie
zyna Sriend
Oblata 15 4[br]is

in Drohiczyn.